

COROLLARIA.

1.

Singulare fuit remedium, quod adversus Infortunium à Ludovico XIII. Rege Galliaë sibi imminens adhibuit An. 1620. Rupe-
laurus Mareschallus, Regis Legatus in Aquitania. *Ierat hic Maye-
nio* (in eadem provincia Pro-Regi) *in creditū, pecuniamq; mutuo de-
derat bello* (adversus Regem) *sustinendo & sequebatur Ducem. Rex
viri ex beneficio Henrici IV. proVecti ingratitude agere ferens lite-
ris increpat; ille lepide excusat factum, rescribens hæc verba: Non
Mayenium se, sed sequi pecuniam suam; malum nomen fore de-
bitorem suum, nisi creditoris vestigio prematur: quo responso haud
illepide illudit iram. Gramondus Histor. Gall. L.V. p. 288.* Nimirum
ut iram Regis declinaret, dissimulabat, se hostem Regis sequi; si-
mulabat, se debitorem suum persequi.

2.

Mundus exigua sapientia gubernatur.

3.

Diffidentia non repugnat amicitiaë, imo ad eam maxime est
necessaria.

4.

Idem velle & idem nolle ut plurimum & amicitiaë & inimici-
tiaë solet esse fundamentum.

5.

Inter æquales etiam ei, ubi majus est fundamentum honoris,
major debetur honor.

6.

Datur etiam ignorantia docta atque laudabilis.

7.

Innocenti in periculo vitæ constituto & invasorem suum in-
terficere, & illum, qui fugam aut defensionem impedit, obterere
licet.

8.

Draco volans ob rationes phycas sæpe caminos ædificio-
rum ingreditur; sic & naturaliter ignes fatui ab iratis facilius re-
cedunt quam à timidis.



COROL

Coll. diss. F 141, 27